

## Die Urkunden Lothars II., 17

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina  
praeveniente clementia rex. Dignum est, ut regalis sublimitas sacerdotum  
ac servorum dei utilitatibus tanto benignius ac libentius faveat, quanto eos in divinis rebus  
studere et moribus concordari perspexerit. Idcirco omnium fidelium sanctae dei ecclesiae  
ac nostrorum praesentium videlicet et futurorum noverit industria, quia, cum nos beneficia  
regni nostri inter fideles nostros dignum distribuere iudicavissemus, contigit ut necessitate  
compulsi propter parvitatem ipsius regni quandam partem rerum ex monasterio Stabulaus,  
quod est in honore beati Petri apostolorum principis dicatum, quo etiam sacrum corpus  
Remacli gloriosi confessoris Christi eiusdemque loci pii patroni quiescit, beneficiario  
munere quibusdam fidelibus nostris concederemus, quandam vero partem ad usus et  
supplementum inibi deo militantium r[el]inquemus nostrarumque seriae litterar[um]  
confirmaremus. Sed ut ipsa concessio et [is]ta sanccio perennem obtinere valeat  
[firmi]tatem, hoc nostrae mansuetudinis edictum fieri censuimus, per quod statuentes  
decernimus modisque omnibus sancimus, ut famuli dei, qui in praedicto coenobio amodo et  
deinceps divinis famulati fuerint cultibus, res inferius adnotatas nostris successorumque  
nostrorum temporibus in eorum usus perpetuo iure teneant atque possideant, secundum  
normam suae institutionis ordinent, disponant et libero auxiliante Christo sine cuiuslibet  
potestatis contradictione vel demptione fruantur arbitrio: id est in comitatu Arduennensi  
villam quae vocatur Ledernaus, in pago Condruscio villam Ueruigium cum suis  
appendiciis, id est Bainam et Uualthinam, in ipso pago villam Slenion et villam Siluestram  
cortem, in comitatu Laumensi villam quae dicitur Calco, in pago Hasbannio villam  
Hurionem, item in pago Condruscio villam Hosoniam et locum qui appellatur Uilla, in  
Falminne pago villam Humnin, rursum in comitatu Arduennensi villam Graisdam cum  
pertinentiis suis, item in Falminne locum qui dicitur Lomna et in Strata mansum unum et in  
Bractis mansum dimidium simulque inter ingenuiles et serviles mansos ducentos  
quadraginta quinque, sedilia insuper in portu Hoio et Deonanto, unde exeunt solidi triginta  
duo. Nihilominus etiam confirmamus praefatis monachis villas has, quae in praestariis  
habentur per loca diversa: villam videlicet Carbool, villam Brabantio seu et in aliis locis  
mansos viginti unum. Statuentes praeterea roboramus, ut villa vocabulo Uuatlinio, quam  
Uuigfridus ministerialis noster iure beneficiario obtinet, ilico ut ei a nostra munificentia in  
quolibet loco fuerit recompensata vel ipse pr[ius rebu ]s si excesserit humanis, ad dominium  
eorum sub integro revertatur. Eodemque modo iubendo sancimus et regali auctoritate  
indicimus, ut quicumque ex possessionibus sepe dicti monasterii beneficia habent, absque  
neglegentia et tarditate decimas fructuum ex mansis dominicatis ad hospitale eiusdem  
coenobii dare contendan[t]. Co]nferimus insuper eis ob exiguitatem vini capell[am] quae est  
in fisco nostro Crouio sita cum decimi[s omn]ibusque ad se pertinentibus. Haec omnia pro  
[a]more divino pio favore prosequimur, qu[a]tinus nostri genitoris ac genetricis nostrae  
memoriam in eorum sacris orationibus iugiter habeant dignasque preces effundant. Et ut  
haec nostrae p[re]ceptionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter  
eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

(MF.) (M.) (M.)

Signum (MF.) Hlotharii gloriosi regis

(C. NT.: *Rodmundus*) Hrodmundus notarius advicem Ercamboldi recognovi et (SR. NT.:  
*Rodmundus notarius advicem Ercambaldi recognovi et scripsi; ipse magister fieri iussit*)

(SI.)

Data id. april. anno Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis VII, indictione XI;  
actum Novo Castro in pago Leochensi; in dei nomine feliciter amen (NT.: *amen*).